



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Hermannii Conringii De Antiquitatibus Academicis
Dissertationes**

Conring, Hermann

Helmestadii, 1674

Svpplementvm XXVI. Ad pag. LII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12929

quām vulgo fieri solet ratione. Quorum diligente lectione & exemplo incitatus Hugo Grotius, quo valuit in usitato ingenii & judicij acumine, dedit orbi opus illud incomparabile de Jure Pacis ac Belli.

SUPPLEMENTVM XXVI.

Ad pag. LII.

Quod Hippocratis nomine fertur JVS JVRANDVM, illud reverā esse ejus auctoris, nemo quod equidem sciam vocavit in dubium ante patrum aetatem. Potissimum dubitandi argumentum est, quod in Galeni scriptis nulla ejus fiat mentio. Et verò fuit Galenus Hippocraticorum omnium cultor studiosus: itaque saltim alicubi in tanto librorum suorum numero ejus libelli meminierit, si habuisset in manu. Verumtamen quia bona pars operum Galeni pridem periiit, saltim incertum est quid Galenus fecerit nec ne. Diu verò ante Galenum vulgo fuisse chartam illam Jurisjurandi Hippocrati attributam, liquet ex Scribonio Largo, qui vixit Claudio circiter Imperante. Sed & post nemine contradicente ita creditum esse, docent Soranus junior, Eretianus, Hieronymus, Nazianzenus, Theodorus Priscianus: quorum testimonia pridem adducta sunt in medium, cum primis à Joanne Henrico Meibomio (Medico si quis alius longè $\chi\alpha\epsilon\mu\sigma\tau\omega$ & meo dum viveret amico magno, cuiusque proinde memoria mihi semper erit in carissimis) in eruditissimo *Jurisjurandi* illius *commentario cap. 1.* Faciunt huc & nonnulla verba Cassiodori in *Formula Comitis Archiatrorum*, quæ habetur *Varior. l.6. p.19.* Arabicæ aut Latinæ scholæ recentiores non est quod laudem in testes. Attendi verò & hoc mereatur, quod in illo libello nihil reperiatur indignum aut fama aut gravitate aut dictione Hippocratis. Utut igitur

Amdeus

Διαδεκτηώς haud liceat Hippocratem asserere auctorem, sicut per quam probabile tamen id meritò est aestimandum.

SUPPLEMENTVM XXVII.

Ad pag. LII.

Non hoc loco disputabimus, utrum rectè à nobis sit dictum nec ne, Archiatros olim dictos quibus Principum valetudo curanda erat concredita. Etsi enim vox ἀρχιατρος primò haud significet τὸ ἀρχοντος iure, sed primarium quemvis: nihil vetat tamen solius Principis valetudini dictos καὶ ἀρχοχιλίου ita esse appellatos. Comes Archiatrorum utiq; Principi inservivit, ceu Formula Cassiodorianā disertè docet; Indulge te quoq; , inquiens, Palatio nostro; habeo fianciam ingrediendi, qua magnus solet pretiis comparari. In eadem Formula dicitur ἀπλως de Archiatris: Habeant Praesulem, quibus NOSTRAM committimus sospitatem. Fateor tamen haud esse vero absimilēti sententiam eorum, qui Archiatros dictos omnes omnino primarios medicos arbitrantur. Fuisse verò certum gradum dignitatis Archiatram, certumque etiam hujus tituli Medicorum numerum, liquidum est; patebitque amplius infra ex iis quibus supplebimus nonnulla dicta pag. 116.

Examen autem Archiatrorum cooptandorum neutrīquam fuisse penes Comitem qui appellabatur, docet primo illud quod in constitutione Valentianī & Valentis facultas illa examinandi tribuatur collegio quidem Archiatrorum aut Ordini, non autem Comiti; secundò quod in Formula Comitis Archiatrorum Cassiodorianā nulla hujus examinis fiat mentio. Constituitur enim Comes ille ibi *judex* quidem, sed non nisi controversiarum inter Medicos de medendi ratione exortarum. Est verò illa Formula